

LVNÆ DIE 18 M. APRILIS A. 2011

A.d. XIV Kal. Maias a. MMXI

I 6 I

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



AD LECTOREM  
DE PRETIO ARTIS

– quærit Francisca Deraedt –

Quotiescumque occurrit aliqua vitæ experientia, quæcumque est, quærere possumus quid antiqui de hac re, quam nunc sive videmus sive agimus, cogitauerint. Nam omnia sunt in libris, quos si ingenue legere volumus, intellegimus homines semper sui fuisse, esse, futuros esse similes, etsi tota mundi scæna interea mutata est et verisimiliter posthac multum etiam mutabitur. Hodie autem de arte agitur, peculiari-terque de pictura, de qua recordemur una, si lubet, veteres lectiones.

Nam ante paucas septimanas Brugis in urbe etiam Septentrionalibus Venetiis vocata exhibitionem invisimus pictoribus quinti sextique decimi sæculi dicatam hoc titulo : « A Iohanne van Eyck ad Albertum Dürer : Flandri primitivi et Europa media, 1430-1530 ». Lustratoribus ingens proponebatur copia tabularum pictarum, quarum contemplatio diversos excitavit sensus et cogitationes.

Non iocabantur illis temporibus pictores : nobis enim inter cecos ambulantes monstrabantur, non prata viridia dulcesve deorum amores, sed innumeræ Virgines, Christi, crucifixiones, sancti Sebastiani, alii martyres quantum fieri potest crudelissime trucidati, canonici ad Mariæ genua procumbentes, pauci homines privati, semper maxime severi ; inter hanc omnem



*Petrus Ægidius a Quintino Metsys depictus (post 1514 - Antverpiæ, Koninklijk Museum voor Schone Kunsten)*

coronam solus subridere videbatur humanista Petrus Ægidius sive Pieter Gillis, a Quintino Metsys depictus, cuius lenis imago hic ostenditur.

Admirabamur hæc artis opera summe delicata, in quibus singula, etiam minutissima, ratione subtili sunt descripta, imprimis pretiosi lapides et, ante omnia, textilia. In quorum sinibus et textura lumen ita ludere videtur, ut ipsam vestem tibi tangere posse videaris. Etsi facere non potuimus quin de antiquis artificibus cogitarem, qui corpus humanum multo pulchrius exprimere valuerunt, quam fecerunt mediævales, tamen etiam in mentem sponte incidit comparatio cum arte, quæ dicitur, contemporanea, ubi quævis coloris macula sufficit ad suscitandos admirationis clamores.

Quid autem est pictura ? Quæ est eius ratio, qui eius finis, quæ singularitas ? Quid est pictura ? « Ars quondam nobilis » ait (iam suo tempore !) Plinius.<sup>1</sup> Leo Baptista Alberti, qui huic arti dicavit integram dissertationem,<sup>2</sup> non dubitat eam inter omnes habere primam : « Hoc in primis honore a maioribus honestata pictura est ut, cum ceteri ferme omnes artifices fabri nuncuparentur, solus pictor in fabrorum numero non esset habitus. Quæ cum ita sint, consuevi inter familiares dicere picturæ inventorem fuisse, poetarum sententia, Narcissum illum qui sit in florem versus, nam cum sit omnium artium flos pictura, tum de Narcisso omnis fabula pulchre ad rem ipsam perapta erit. Quid est enim aliud pingere quam arte superficiem illam fontis amplecti ? »

Hoc poetico impetu statim intellegimus auctorem non de quolibet picturæ genere tractare velle, sed de arte sublimi. Pictura enim, scribit Alberti, « habet in se vim admodum divinam non modo ut quod de amicitia dicunt, absentes pictura præsentis esse faciat, verum etiam defunctos longa post sæcula viventibus exhibeat, ut summa cum artificis admiratione ac visentium voluptate cognoscantur. »

Nobis hæc vibrantia verba legentibus patet eum haud multum æstimatum fuisse talia artificia, qualia nostris temporibus ad cælum extolluntur. Vitruvii potius sequebatur viam, qui monebat hoc : « Neque enim picturæ probari debent, quæ non sunt similes veritati. »<sup>3</sup> Quamquam fatendum est tempora inde mutata esse, et picturam etiam in illis : tum enim nondum exstitit photographia, cuius inventio artem pingendi funditus erat eversura, nisi artifices aliquid novi conati essent efficere. Nam cui bono, imaginem veri similem depingere, cum simplex photographia pressione digiti celerrime factum veri sit similis ? Utinam tamen antea commentationem Leonis Baptistæ Alberti legissent, in qua omnibus fere paginis agitur de

concinnitate, de gratia, de pulchritudine perquirenda.

Sed vana, dixerit quis, est disputatio de æstimatione rerum, quæ cor tangunt magis quam intellectum. Nonne hæc tabula maculata, aut scissa, aut solis quadris ornata, aut tota rubra, nonne hæc pictura moderna, quæ meos quidem oculos offendit, alterius sensum iure et merito delectare potest? Nonne pretium habet suum?

Quod autem est pretium artis? His temporibus, quibus discrimen œconomicum nullam non afficit nationem, cum plerique pauperiores fiant sed nonnulli immodice divites, videmus pecunias magis magisque immanes erogari pro una tabula picta non necessario eximia. Nuper, ut exemplum afferatur, pictura quædam Renati Magritte, « L'aimant » (i.e. « magnes ») inscripta, Londinii in auctionum domo Christie's vendita est pretio mirabili, ne dicam « superrealistico », cum de hac agatur pictorum schola, 5.585.159 euronum. Emptor videtur vi... magnetica attractum esse ad hanc picturam, ceterum pro hoc artifice non omnino foëdam, sed de cuius vero pretio interrogare licet.

Habetne Alberti sententiam de hac quæstione proferendam? Habet: « Quis negabit omnibus in rebus cum publicis tum privatis, profanis religiosisque picturam sibi honestissimas partes vendicasse, ut nullum artificium apud mortales tanti ab omnibus existimatum inveniam? Referuntur de tabulis pictis pretia pæne incredibilia. Aristides Thebanus picturam unicam centum talentis vendidit. Rhodum non incensam a Demetrio rege, ne Protogenis tabula periret, referunt. Rhodum ergo unica pictura fuisse ab hostibus redemptam possumus affirmare. » Palmam tamen in hac re meretur Zeuxis, cuius ars tanta fuisse dicitur, ut aves carperent uvas in tabula ab eo depictas: « Zeuxis pictor suas res donare cœperat, quoniam, ut idem aiebat, pretio emi non possent. Nullum enim pretium existimabat




René Magritte (1898-1967), « L'aimant »

inveniri quod satisfaceret huic qui fingendis aut pingendis animantibus quasi alterum sese inter mortales deum præstaret. » Væ emptori qui tabulam 5.585.159 euronum æstimavit, neque pluris, neque minoris: ars enim pretium non habet. ☞

1. Plin., *Nat.*, XXXV, 1.

2. *De Pictura*, 1435. Sententiæ hic citatæ excerptæ sunt e libro secundo.

3. VII, 5.



Avicula pira comedens (Oplontis, villa Poppææ, sæc. I)

## DE GERARDO DORN

- scripsit Carolina Thuysbaert -

**M**ala existimatio hodie generatim viget de alchemia. Sæpe homines obscuro laborantes obscuris in locis imaginamur, qui plumbum in aurum convertere cupiunt. Suntne magi, periculosi, insani, simplices, stulti, innocentes? Cur rem quærunt quam scientiæ nostræ hodiernæ (positivæ et empiricæ quæ dicuntur) clarum in modum evicerunt? « Si alchemia vera esset, omnes hanc pro certo haberent », putant plerique.

Textus quem infra legetis vos fortasse de hac sententia deducet. Alchemia non solum ad metallorum transmutationem pertinet, sed etiam philosophia nitur. Maxime aliis cum scientiis traditis congruit, id est cum physica antiqua, hermetismo, religione, theologia, astrologia, medicina. Proverbium enim apud alchemistas eminet: « Ora et labora ». Non prodest laborare sine oratione, neque orare sine opere. Quæ cum ita sint, nobis Gerardi Dorn scripta legentibus mirandum non est Geneseos versus iuxta Hermetis Tabulam Smaragdynam, post Paracelsi textus invenire, nomine Deo interdum invocato, Iesu Christi verbis passim laudatis.

Belgicus philosophus, physicus necnon alchimista fuit ille Gerardus Dorn, parum notus hodiernis diebus, suo autem tempore notissimus. Natus est anno 1530 Mechliniæ et diem supremum obiit anno 1584 Francofurti ad Mænum. Pauca de eius vita sciuntur... sed non raro philosophi adepti qui dicuntur vitæ transitorie vestigia relinquere noluerunt seque ipsos celaverunt. « Optimus itinerator pede vestigium nullum facit », legitur in Laotii doctrina.

Edelbergæ anno 1559 studuit; Basileæ fuit anno 1570; aliquando etiam Argentorati. Latine et Francogallice loquebatur. Sat male linguam Theodiscam callebat.

Anno 1566 Adamo von Bodenstein obviam iit cui primum librum suum dedicavit. Adami gratia, Paracelsi opera novit statimque amavit et divulgare statuit.

Paracelsus vel Philippus Theophrastus Aureolus Bombastus de Hohenheim, natus anno 1493 Eremitarum Cœnobii (vulgo *Einsiedeln*) in pago Helvetiæ, obiit Salisburgi die 24 m. Septembris 1541. Medicus fuit, astrologus, philosophus, chemicus, alchemicus. Vir sui generis omnibus est notus; inter multa alia inventa, reperit medelam ex mercurio factam ad syphilim curandam, hygienæ favuit, homœopathiæ principia fundavit.

Gerardus Dorn plerosque Paracelsianos libros (Germanice scriptos) edendos curavit et Latine vertendos. Dorn re vera et discipulus et quasi patronus fuit Paracelsi qui multa passus est ab omnibus invisus. Multi enim huic fuerunt hostes, varias ob causas quas longum est dicere.

Dorn primus fertur de alchemia spiritali locutus

esse, etsi hæc opinio mihi erronea videtur, propter ea quod alchemia spiritualitasque iam longe antea continuo inter se iungebantur. Christianus fuit quamquam sententia eius erga Reformationem non patet. Libros ad Ducem Fredericum ex Bavaria, ad Archiducem Ferdinandum ex Austria, ad Ducem Ludovicum ex Wurtemberg, ad Carolum Marchionem ex Aquis Helvetiæ composuit. Officium quoque præbebat Principi Othoni Henrico qui præstantissimus inter Germanicæ Renascentiæ illustres principes fuit cuiusque initiales litteræ OHPC (Otho Henricus Palatinus Comes) castelli Edelbergensis clupeum ornant.

In opere Iacobi van Lennep,<sup>1</sup> scribitur Dorn primus enuntiavisse sensum acrostichidis VITRIOLEVM, i.e. Visita Interiora Terræ Rectificandoque Invenies Occultum Lapidem Et Veram Medicinam.

Ecce eius librorum aliquas inscriptiones: *Clavis totius philosophiæ chymisticæ per quam obscura Philosophorum dicta referantur; Congeries Paracelsicæ chemiæ de transmutationibus metallorum ex omnibus quæ de his ab ipso scripta reperire licuit hactenus; Genealogia mineralium atque metallorum omnium; Monarchia physica; Dictionarium Paracelsi.*

Carolus Jung, psychiater vicesimi sæculi, Dorn doctrinam magni æstimabat.

Sexto decimo sæculo Renascentia Paracelsiana pan-craticè floruit. Si quis de hac re dubitet, legat doctissimum librum a Desiderio Kahn scriptum post lauream impetratam in Studiorum Universitate Sorbonensi (Lutetiæ Parisiorum IV), « Alchimie et Paracelsisme en France (1567-1625) ». <sup>2</sup> Alchemia ergo hoc sæculo floruit. Nam textuum alchemicorum optimorum excerpta in lucem ederunt magnæ domus:

- *Theatrum Chemicum, præcipuos selectorum auctorum tractatus de chemiæ et lapidis philosophici Antiquitate, veritate, iure, præstantia et operationibus, continens: In gratiam veræ Chemiæ et medicinæ chemicæ studiosorum (ut qui uberrimam inde optimorum remediorum messem facere poterunt) congestum et in sex partes seu volumina digestum;*<sup>3</sup>

- *Artis Auriferæ quam chemiam vocant volumina duo.*<sup>4</sup>

Multi scriptores interpretes expectant, ut scientia sua ab oblivione vindicetur.

Gerardus Dorn suo tempore valde notus videtur, cuius opus 400 pagellas refertit in *Theatro Chémico* supra dicto.

Tempora illa mira studium historicum certe excitant. Ego quidem ad materiam ipsam doctrinamque transibo. Estne doctrina Paracelsi aut Dorn? Difficile est inter magistrum Paracelsum et discipulum Dorn

dignoscere. Mox prima interpretatio Gerardi Dorn tractatus lectoribus Francophonis in lucem edetur, apud domum editoriam *Beya*, cui titulus *Tractatus de naturæ luce physica ex Genesi desumpta iuxta sapientiam Theophrasti Paracelsi et Tractatus alter de tenebris contra naturam et vita brevi*.

Hæc sunt argumenta :

- Tractatus prior. Post exclamationem auctoris ad Deum (Quis asseverare audebit alchemistas atheistas esse ?), duo prima capitula Geneseos iuxta physicam explicantur. Postea invenitur *De medio spagirico dispositionis ad adeptæ philosophiæ veram cognitionem et lucis naturæ purum conspectum Hermetis Trismegisti cum expositionibus Gerardi Dorn*. Omnes iam nonnulla de Tabula Smaragdina audiverunt quam clarissime aperit Gerardus Dorn. Deinde *De spagirico artificio Ioannis Trithemii sententia*; abbas Trithemius (1462-1516) enim plurimum auctoritatis apud Paracelsum habuit. Posthac *De philosophia meditativa* quam sequitur *De philosophia chemica ad meditativam comparata*.  
- Tractatus alter. *De tenebris contra naturam et vita brevi* (commentarium in tertium Geneseos capitulum), *De duello animi cum corpore*, *De lapidum preciosorum structura*.

Tractatus momentum maxime constat in hoc : Gerardus Dorn varios fontes conferre vult : *Genesin*, *Tabulam Smaragdynam*, doctrinam Trithemii Paracelsique. Sic clare demonstratur vinculum inter scientias traditas, quod supra dixi.

Nonnullos locos ex duobus his tractatibus excerpsti, in vestram gratiam ut spero.

EXCLAMATIO AUCTORIS AD DEUM. <sup>5</sup>

« O summa bonitas, immensa sapientia, æterne Deus, fieri haudquaquam potest, ut humanus intellectus absque maxima suæ mentis consternatione, vel minimum punctum inexhaustæ tuæ sapientiæ considerare, taceo quidem ut exprimere titubante lingua, vel tremente calamo scribere valeat : ni iussu tui sacratissimi spiritus, idipsum in cordibus hominum imprimendis, fiat : quos etiam admonere tacite, & indies exhortari non cessat ad veritatis confessionem in omnibus. Quandoquidem attentari vel effici a quopiam in terris viventium hoc si debeat, lumine divini tui splendoris illustretur inprimis necessum est, ut ignorantia suæ tenebras agnoscat, ingenueque fateatur ab eis nulla ratione liberari posse alia, quam tua potentia. Et si forte suasu calumniatoris, a seipso quærat auxilium, in profundiorum captivitatis lacum se mergi comperiet : cum per seipsum nunquam aliud medium liberationis inveniat, quam laqueum quo seipsum irretivit ab initio recedens ab obedientia, quam tibi soli Creatori suo debebat. »

DE PRINCIPIO CREATIONIS. IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS CÆLUM ET TERRAM (*Genesis* I, 1). <sup>6</sup>

« Variæ sunt opiniones apud nonnullos de principio creationis Mundi. Sunt inter alios qui negant hoc ad tempus quoquo modo referri posse, quia nondum existeret, quodque a vespere et mane prius ortum habuit. Alii volunt ordinem denotare, ac si dictum esset, primum omnium. Verum hæc verba, *in principio* videlicet, videntur cum pro tempore, tum pro ordine, extra omnem loquendi modum & rationem interpretanda. Cum potius in ea significatione temporis Moyses dixisset *a principio*, ut etiam habent aliquot vulgares interpretationes, vel *inprimis*, *primo* &c. Locum etiam designare minime videntur. Nam verbum Dei Deum ipsum aliquo loco includere velle, nefas. Etiam ante mundi creationem nullus potuit esse vel assignari locus. Infinita siquidem immensitatis divinæ amplitudo, nullos terminos habet, quo fit ut locus in infinito non sit, qui dicitur a limitum circumscriptione. Quid ergo sibi velle videtur Moyses per principium ? (...) Scripsit etiam antea præceptor ille noster, nunquam satis laudatus Paracelsus, ab exordio mox suæ Philosophiæ ad Athenienses his ferme verbis : ‘Omnium quæ creata sunt, & sunt obnoxia corruptioni, unicum fuit principium, in quo conclusæ fuerunt omnes creaturæ, quas universa regio capit ætherea : sic tamen, ut omnium unica materia duntaxat extiterit, & non unicuique sua. Materia hæc rerum omnium est mysterium magnum, non perceptibile quid, non ullius essentia vel formæ, nullius proprietatis, inclinationis, similitumve : item absque ullo colore, & elementari natura. Quam late se extendit ætherea regio tota, tam ampla fuit sphaera mysterii magni. Hoc mater fuit elementorum, stellarum, arborum, creaturarum carnis, ac reliquarum omnium sensibilibum et insensibilibum, omniumque corruptibilibum rerum. Singula suam ex eo mysterio duxerunt originem, non successive, ut unica creatione tantum : substantia, materia, forma, essentia, natura & inclinatio, datæ sunt a Domino. Mysterium magnum creati nullius similitudinem habuit, nec etiam creatum fuit. Fuit nihilominus materia prima, ex qua res omnes mortales & corruptibiles ortæ sunt. Increatum igitur mysterium hoc, fuit ab altissimo opifice Deo præparatum, ut ei simile nunquam futurum sit, nec ipsum unquam rediturum, ut fuit. (...)’ »

DE PRACTICA OPERIS SPAGIRICI <sup>7</sup> AD MEDICINAM VITÆ LONGÆ PARANDAM, COMMENTARIUM IN TABULAM SMARAGDINAM. <sup>8</sup>

« *Separabis terram ab igne, subtile a spisso &c.*

« Postquam theorice demonstravit spagiricam artem, approbans eam a similitudine creationis mundi, practice tandem (ut est rationi consonum) a separationem aggreditur Hermes, non immemor abyssi per firma-

mentum divisionis inferiorum aquarum a superioribus. *Separabis* (inquit) *terram ab igne*, ut a viro fœminam, quo generare valeant. Oportet siquidem in omni generatione duo prius convenire, ut agens & patiens, superius & inferius quod antea, cum in sacra *Genesi*, tum in spagirica vocata : nec tantum duo, sed quæ ab uno separata sint, vel divisa. Et eiusmodi separatio proprie dicitur a spagiricis philosophis elementorum divisio puriorum ab impuriis. Docet auctor primam operationem esse præparationem et mundificationem partium in hac arte convenientium. Nonnulli putant elementorum quatuor separationem hic intelligendam, quod nemini quidem negatum velim, si de spagirica separationem loquatur, & non de vulgari. Quandoquidem sub ignis appellatione duo alia continentur elementa, scilicet aer & aqua. Nullus enim ignis est aeris expers, nec aer aquæ, cum aer sit aqua per ignem resoluta, quo sursum ascendere coacta est : terra vero partim ascendit, partim inferius fixa manet. Nonnulli putant particulam hanc, *subtile a spisso*, referri ad priorem, nempe *separabis terram ab igne* : verum ego sum eius opinionis, quæ magis ad mentem auctoris videtur accedere, peculiarem esse purificationem ac magis philosophicam illa priore : poterit qui volet credere, qui non, minime cogitur. *Subtile* namque dicitur a philosophis spagiricis omne quod æthereum est, aut per ætherei virtutes in subtilitatem adductum. Nam uti supra dictum, æthereum & elementa unum esse per substantiam, remotis etiam ab eis utrinque accidentibus, quibus solum differunt, in unum facile redibunt. Est igitur auctoris sententia, per separationem subtilis a spisso, subtiliari spissum elementare, ac in ætherei subtilitatem spagirice redigi posse. Hæc spagirica separatio, solutio etiam esse dicitur, quæ nisi præcedat, nulla pariter compositio spagirica fieri potest. Quapropter ista posterior separatio peroptime consideranda est, ne cum priori confundatur. Ex ordine dictionum in orationibus (etsi nulla coniunctio sit intermedia) patet, auctoris menti meam opinionem esse conformem. Cum prius dixerit, *separabis terram ab igne*, si hanc sententiam per eam quæ subsequitur exposuisset (ut nonnulli volunt) debuisset etiam dixisse *spissum a subtili*, & et non *subtile a spisso*. Quia terra spissior est igne, quem etiam illa præcessit in priore oratione, aut in posteriore ordo invertitur substantivorum. »

DE TENEBRIS CONTRA NATURAM ET VITA BREVI. <sup>9</sup>

« Proinde non merentur dici Physici, neque medici, quotquot spagiricam artem ignorant : quanto minus digni his appellationibus qui calumniis in eam invehuntur, ac illius veros professores odio persequuntur multa cum invidia. Quid illis prodest ex superficie tantum res cognoscere naturales, nisi quod in istis latet ex centro pariter discant, cum scire, tum experiri ? Cadaverum anatomia scholæ medicorum hactenus

delectatæ sunt. Cur non etiam anatomiam corporum naturalium arte spagirica per ignem, & non per novaculam professi sunt ? ea siquidem humano generi longe est utilior magisque necessaria. In cadavere porro quid præter mortem quærimus ? Atqui in anatomia spagirica contra, nil nisi vitam invenire licet. »

DE SERPENTE. <sup>10</sup>

« Proinde notanda qua via sibi fecit calumniator ille serpens in monarchiam humanam aditum, & irrepsit miranda quadam astutia. Scivit enim, ut omni astutia plenus, Adamum unario insignitum, hac de causa primum non est aggressus, dubitavit nimirum se nihil efficere posse : item non ignoravit Evam a viro suo divisam tanquam naturalem binarium ab unario sui ternarii. Proinde a similitudine quadam binarii ad binarium, & multitudinis ad multitudinem armatus, in mulierem fecit impetum. (...) Etenim Quarenus <sup>11</sup> ille serpens aures & mentis oculos tenebris occlusit & occæcavit, ne sui videant suam nuditatem & quandoque fatentes eam cum Adamo resipiscant. Quod ut faciant, serpentis calliditatem in fallendo, nudius est quod pro viribus detegamus. Ait propheta Moyses : *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem, quare præcepit vobis Deus ut non comederetis ex omni ligno Paradysi ?* Primo calliditas est nobis consideranda calumniatoris, qui serpentis speciem induere voluit potius, quam alterius animantis. Scivit enim hoc esse prudentissimum, ut ergo sibi conciliaret auctoritatem a prudentia, qua maior fides illi adhiberetur a muliere, hoc pallio oblongo opus esse decrevit, sub quo singulæ partes nequitiarum suarum a capite usque ad pedes, hoc est, ab initio ad finem molitarum a se deceptio-num, laterent & contegerentur : tum quod videret hoc genus animalis promptissimum ad per quasunque rimas vel fissuras penetrandum, hoc ipso melius in mentem integram adhuc nullius mali consciam, sibi serpendo sensim faceret ingressum. Proinde ad hunc modum palliatus, & eam simplicitatem adorsus, captiosis atque mendacibus e sophismatum suorum genere quæstionibus sic alloquitur : *Quare præcepit Deus omne lignum.* Ecce quam astute mox pater Sophistarum proposita fallacia, per mendacem quæstionem conatur mulierculam etiam ad mendacium trahere, tentans si quo modo hoc impetu rimulam faciat in integram adhuc monarchiam, & per eam irrepat, quod fecit. Respondens itaque male cauta mulier, (quæ sanius vel tacuisset vel *abi*, dixisset, *binc procul*) mendacio diaboli (*de omni ligno*) duplicatum addit mendacium (*ne tangeremus*, inquit, *& ne forte moreremur*) non autem dixerat Deus, *de omni ligno non comedas*, imo contra, *ex omni ligno paradysi comede*. Sed Sophista nequam esca mendacii ad mendacium inescare conatus est. Non etiam Dominus Deus prohibuerat, ne tangerent arborem,

neque reliquit eis aliquam occasionem dubitandi de morte, si comederent ; quinimo affirmative prorsum asseruit, inquiens, *morte moriemini*, quasi moriemini, imo sane moriemini. Facto sibi iam introitu per mendacia utrinque prolata, mendacium replicat blasphemus nequam, simulque Deum insimulat mendacii :

*Nequaquam* (inquit) *moriemini*. Ac si diceret, non ita se res habet ut Deus persuasit vobis. Addidit nequam quo falsum & sophisticum argumentum suum confirmaret : *Scit enim Deus, quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum*. Primo Deum insimulat invidiæ, quo reddat mulierem Deo hac parte inimicam, quasi illis invideret felicitatem divinitatis possidendæ. Secundo persuadere conatur mulieri, ut fructum aspiciat oculis carnis, & hoc aspectu alliciatur ad appetentiam, item loquitur ac si Deus fascinaret oculos eorum, ne viderent in fructu felicitatem, quo magis ac magis Deo faciat inobedientes. Tertio concludit non esse obediendum, quin potius faciendum periculum eventus. Haud secus infidelium sapientium doctrina, hominum ingenia hactenus captiose fallere solita, primum omnium auctoritatem sibi conciliat apparatu quodam palliato, cum vestium ornatu in longam serpentis formam protenso, & prudentiam serpenteam præ se ferente, tum elegantia

sermonis interserti, modo Latinis, mox Græcanicis, iam Hebraicis Chaldæis, Arabicis (cum istorum nonnulli vix maternum idioma calleant) verbulis, ut hac varietate fascinentur hominum aures, ac in admirationem tam variegati sermonis tractæ, sub talari veste multam occultari credant sapientiam. »<sup>12</sup> ☞

- 
1. *Alchimie, contribution à l'histoire de l'alchimie*, Crédit Communal, 1985, Gandavi, p. 201.
  2. Apud domum editoriam Droz, Genevæ, 2007, 807 pp.
  3. Anno 1602, Argentorati apud Zetznerum.
  4. Anno 1590, Basileæ.
  5. *Theatrum Chemicum*, vol. I, p. 328.
  6. *Idem*, vol. I, p. 335-337, *passim*.
  7. Ars spagirica pertinet ad separationem et unionem, σπάω et ἀγείρω.
  8. *Idem*, p. 380.
  9. *Idem*, p. 460.
  10. *Idem*, p. 465 ; 475-477 *passim*.
  11. Serpens de Dei consiliis Evam semper interrogat eodem modo : « Quare... ? » Inde eius cognomen ab auctore sic iocose excogitatum : « Quare-nus ».
  12. Nil novi sub sole !



Hans Vredeman de Vries, *Laboratorium*, in : Heinrich Khunratb, *Amphitheatrum sapientiæ æternæ*, 1602. Hac imagine optime illustratur alchemica sententia « ora et labora ». Alchemistæ enim erant homines pii qui, ut ex eorum tractatibus patet, sæpe referebant ad Deum. (photogr. H. de Mevius)



# QVOMODO DIE 24 AVG. A. 410 ROMA AB ALARICO CAPTA SIT

– scripsit Victorius Ciarrocchi –

Postquam Diocletianus (284-305) pericula quædam Romano imperio iam pridem impendentia compescuerat vel saltem averterat, illius Civitatis res in peius ire perrexerunt, maxime quia inde a sæculo quarto exeunte nonnullæ gentes (Gothi, Alani, Vandali), quæ incultis præditæ moribus erant atque ab Hunnis urgebantur, totam imperii compagem quaterere cœperunt.

Quorum populorum audaciam, vim, vastationes retundendas esse Valentinianus eiusque frater Valens, ambo ex anno 364 imperatores, pro certo habebant. Valens autem, qui hostium vires parvi faciebat atque improvido pugnandi ardore incendebatur, die nono m. Augusti a. 378 prælium cum Visigothis prope urbem Hadrianopolim commisit. Cladem immensam Romani passi sunt cruentissimamque : a Visigothorum equitatu legiones Romanæ profligatæ sunt. Quo de prælio Ammianus Marcellinus, qui, vel tumidiori scribendi generi indulgeat, historicus tamen est fide dignissimus, cum alia tum refert hæc : « steterunt inprotecti pedites, ita concatervatis manipulis ut vix mucronem exerere aut manus reducere quisquam posset [...] Qua causa tela undique mortem vibrantia destinata cadebant et noxia, quod nec provideri poterant nec caveri ». <sup>1</sup> Atque Valens ipse « aut sagitta perniciose saucius ruit spirituque mox consumpto decessit nec postea repertus est usquam » ; aut vulneratum quidam in casulam transportaverunt, quam hostes, « congestis stipulæ fascibus et lignorum flammaque supposita, cum hominibus torruerunt [...] Nec ulla annalibus præter Cannensem pugnam ita ad internecionem res legitur gesta ». <sup>2</sup>

Hac memoranda a Visigothis reportata victoria factum est, ut multis aliis gentibus voluntas frangendi limitem Romani imperii ac prædandi cupiditas vehementer aufereretur. Imperator Theodosius, qui patrios Romanorum abolevit mores adeoque christianis favit ut ab his « Magnus » appellaretur, operam dedit, sed haud semper opportunam, ut aliquid veteris imperialis roboris servaretur. Post autem eius mortem (a. 395), imperium, quod iure etiamtunc unum erat, revera duas in partes, nempe orientalem et occidentalem, divisum est.

Ineunte sæculo quinto pars occidentalis, cui præerat Honorius, Theodosii filius (384-423), propter huius imperatoris ignaviam et quorundam aulæ Ravennatensis administratorum ambiguitatem summo in discrimine versabatur. Nam crebriores factæ sunt Visigothorum in Italiam incursiones, quarum primam anno 401 duxit Alaricus, callidus illius gentis rex, qui, cum sub Theodosii vexillis militasset, Romanorum artem bellicam haud ignorabat. Et quamquam anno insequenti

hic rex victus est a Stilichone, cuius sub tutela Honorius erat, tamen « propter illam, quam Visigothi fecerunt irruptionem in Italiæ regiones, moribunda esse cœpit Urbs », ut scripsit Georgius Falco (1888-1966). <sup>3</sup> Nam, etsi anno 403 prope Veronam rursus Stilicho vicit Alaricum, hic nihilominus ab Alpibus Iuliis iterum in Italiam descendit postulans ab Honorio tributa, pecuniam, obsides. Stilicho, utpote qui Alarico talia minaciter postulanti sit adsensus, proditionis accusatus die 23 Aug. 408 Ravennæ, iubente Honorio, capite damnatur.

Hoc duce Vandalo mortuo (nam Itala erat Stilichonis mater, Vandalus autem pater), qui unus fortasse Visigothis obstare poterat, bis Urbem obsedit Alaricus iterans quæ sibi promissa iam erant aut metu extorta. Sed Honorius eiusque consilarii incallide tergiversabantur putantes Alarico timorem incuti posse commemorando antiquas a Romanis partas victorias.

Rupta patientia, mense Aprili a. 410 Alaricus iterum in Italiam invadit et, cum Ariminum pervenisset, iter ad Urbem vertit. Quam cum circumcirca obsedisset, accidit ut omnes fere Romani ob interclusum ciborum comæatum ac ruptos aquæductus fame siti que graviter laborarent. Leguntur apud Zosimum hæc : « Adeoque redacta fuit Urbs ad eas angustias, ut ab iis, qui sperarent, hominum quoque corpora degustatum iri, vox huiusmodi circensibus ludis emitteretur : 'Pretium pone carni humanæ' ». <sup>4</sup> Quare Visigothorum regi a senatu duo legati, Basilius et Ioannes, missi sunt pacis condiciones petituri. « Qui, cum ad regem [Alaricum] adducti essent, superbius colloqui cœperunt quam deceat eos, qui pacem petant. Præterea Romanorum virtutem bellicam etiamtunc integram esse atque, nisi rex condiciones a senatu postulas acciperet, Romanos paratos adseverarunt ad pugnandum, quoniam magna esset horum multitudo. Istiusmodi verbis Alaricus breviter respondit 'quo densius fænum eo facilius demeti' adiecitque huic sententiæ cachinnum, ut significaret quantum eorum legatorum minas sperneret. Atque imperiose statuit pretium, quo tantum sibimet expenso urbem relinqueret : aurum et argentum quod Romæ adservaretur non modo in ærario, sed etiam a privatis civibus nec non omnia alia pretiosiora. Atque servi, quibus origo esset gentium barbararum, erant a Romanis liberandi, ut cum Visigothis counirentur. Tum illi legati capitibus cernuis et voce demissa rogare ausi sunt quid, postquam Romani talibus iussis obtemperassent, is relinquendum permetteret. Alaricus autem, 'Vitas', inquit, 'vestras'. Illi tremebundi prope facesserunt ». <sup>5</sup>

Verisimiliter hi legati inepte iactabundi nesciebant

quam vera sit illa lex historica, qua naturaliter præcipitur ut omnes populi, qui sint inermes, aut in acie mortem obeant pugnando contra fortiores aut nullam vim tantum verborum adhibeant, quoniam ad molliendos hostium fortiorum animos verba sine armis inania sunt ac stulta. Hoc principium, ut ita dicam, e celeberrimo colloquio Atheniensium legatos inter et quosdam cives Melos habito luce solis clarius patet (cfr Thucydidis *De bello Peloponnesiaco*, L. V, 85-114).

Vespere igitur diei 24 Aug. a. 410 Alaricus cum Visigothorum exercitu et nonnullis Hunnorum turmis (omnes milites erant haud minus quinquaginta milia armis telisque bene instructi et, quod maximi est momenti, prædandi avidissimi) in Urbem tunc ab non-gentis circiter milibus hominum habitatam, sed omnino indefensam, facilius ingreditur ipsamque per tres dies vastat et direptioni relinquit. Basilicas tamen et homines, qui in eas confugerunt, incolumes servandas iubet. Quare non immerito Franciscus Guizot scripsit ferme hæc : « Christiana religio non modo nullum fere damnum propter Urbem a Visigothis direptam passa est, quin etiam fortasse in christianorum emolumentum redundavit ille eventus ».<sup>6</sup>

Quamvis ista calamitas non tam gravis fuerit sicut aliæ, quas postea Roma pertulit, omnes tamen fere homines, qui etiam tunc se ipsos quodammodo imperii cives esse sentiebant, attonito sunt adfecti timore, quod eam cladem interpretabantur veluti « non modo gravissimam mutationem regiminis, quo ab Augusti temporibus imperium regebatur, sed maxime ipsam Urbis imaginem usque infaustum diem illum invictæ funditus mutatam esse intellegebant », ut nuper scripserunt diurnarii quidam.<sup>7</sup>

Tamen non defuerunt qui hoc vulnere Romæ inlato gauderent præsertim inter christianos, quibus ipsum imperii nomen invisum erat, sicut Orosio, qui, sacra et profana miscens, scripsit : « Adest Alaricus, trepidans Romam obsidet turbat inrumpit [...] Accidit quoque, quo magis illa Urbis inruptio indignatione Dei acta quam hostis fortitudine probaretur, ut beatus Innocentius, Romanæ urbis episcopus, tamquam iustus Loth subtractus a Sodomis occulta providentia Dei apud Ravennam tunc positus, peccatoris populi non videret excidium ».<sup>8</sup> Sed aliter censebat Hieronymus de Roma ab Alarico vastata : « Terribilis de Occidente rumor adfertur, obsideri Romam, et auro salutem civium redimi [...] Hæret vox, et singultus intercipiunt verba dictantis. Capitur Urbs, quæ totum cepit orbem » (Ep. CXXVII, 12).

Itaque illud Romanum imperium, cuius merita et cultus civilis longe superant culpas et cædes a Romanis commissas perpetratasque, ne dicam barbariem Gothorum, Burgundionum, Vandalorum aliorumque id genus populorum, necessarie mori cæpit. Postremum antiquæ Romanorum virtutis exemplum præbitum est a Flavio Ætio, qui anno 451 Hunnos in agris Catalau-

nica profligavit. Attamen paucis post annis, ex quo Urbs a Visigothis est occupata et vastata, Rutilius Namatianus, natione Gallus, in poematio suo c.t. *De reditu* sempiternam Romæ gloriam, quam tantum homines præiudicatis opinionibus obnoxii agnoscere recusant, iure meritoque cecinit ita : « Fecisti patriam diversis gentibus unam ; / [...] Urbem fecisti, quod prius orbis erat » (L. I, vv. 63-66). Scripsit Georgius Falco : « At his in Rutilii versibus nulla est rhetorica »!<sup>9</sup> ∞



*Maître François (XV s.), Roma ab Alarico capta, in : s. Augustini De Civitate Dei (Parisiis in Bibliotheca Nationali - imago Wikipedia)*

1. Ammiani Marcellini *Rerum Gestarum* L. XXXI, 13, 2.
2. Ammiani Marcellini *op. laud.*, L. XXXI, 13, 12-19 passim.
3. Georgii Falco *De sancta Romana Republica*, apud Ricciardi, Mediolani-Neapoli, a. 1963, p. 45.
4. Zosimi *Historiæ* L. VI, cap. XI, 1-2.
5. Fons huius colloquii : Eduardi Gibbon opus *De Romani imperii casu et interitu* inscriptum ; translatio Italica e textu Anglico edita est apud Einaudi, Taurini, a. 1967 ; vol. II, cap. XXXI, p. 1129.
6. Francisci Guizot *Tractatus historiæ modernæ*, lectio sexta. Verba supra relata leguntur in Andreæ Piganiol libro, cui titulus *De Roma anno 410 capta* ; translatio Italica ex hoc textu Francogallico edita est apud Institutum Geographicum De Agostini, Novariæ, a. 1971, p. 317.
7. Cfr Raphaelis Alliegro et Æmilii Giardina symbolam c.t. *De anno 410 p. Chr. n., quo terrarum orbis Romanus eversus est*, die 9 Sept. 2010 vulgatam in actis diurnis Romanis, quibus index *Il Messaggero*, p. 25.
8. Orosii *Historiarum adversus paganos*, L. VII, 39, 1-2.
9. Georgii Falco *op. laud.*, p. 20.

## NICOLAI KLIMII ITER SVBTERRANEVM (VII)

– quod legendum proponit Francisca Deraedt –

Cum Nicolaum Klimium præterita occasione, id est Cante duos Melissæ fasciculos, reliquimus, baccalau-reus noster Martiniam in simiorum civitatem delapsus ab huius terræ incolis tam stultus iudicatus erat, ut munus acciperet lexicarii. Itaque inter simios vivens, Klimius more suo nobis iam bene noto incolarum mores diu observat, quos etiam longe lateque describit ad magnam lectorum delectationem. Inde insuper visus, e condicione hac miserabili quo modo evehi possit, qua ratione, qua techna ab eorum indole tamquam ansa oblata. Et statim apparet hanc ansam, quam temporari arripere oportebit, esse Martinianorum fragilitatem hanc : in omnibus rebus sunt leves, maxime mutabiles, novitatis avidissimi.

Studium autem rerum novarum, si multis in rebus iucunditatem affert, nam variatio delectat, effectus etiam habere potest perversos, in tribunalibus exempli gratia :

« De legibus huius gentis nil dicere possum, ob ingentem, cui obnoxia sunt, vicissitudinem ; nam leges ac iura hic, vestium instar, quovis anno mutantur. Hinc multi ob crimina puniuntur, quæ non crimina erant eo tempore, quo committebantur ; multi etiam ob id solum condemnantur, quod actiones eorum, quæ secundum leges licitæ erant, postea, nova edita lege, factæ sunt illicitæ. »<sup>1</sup>

Et in ecclesia :

« Eadem est religionis facies, quæ non in praxi, sed vanis speculationibus consistit. Ita ducentæ ac triginta sunt opiniones diversæ de forma, quæ Deo sit attribuenda, et trecentæ nonaginta sex de animarum natura et qualitate. Templata, sive auditoria sacra, in quibus Theologia docetur, non frequentant Martiniani, ut audiant quid usui esse possit et ut discant præcepta bene vivendi ac moriendi, sed tantum ut audiant qua arte et qua ingenii subtilitate se expriment oratores sacri, qui, quo obscurius loquuntur, eo ardentius applauduntur, adeo ut ægre audiant Martiniani nisi ea, quæ non intelligunt. »

Klimius mox intellegit sibi, si quovis modo splendescere sortemque suam facere velit meliorem, arripendam esse hanc ansam opportunam. Cuius Martinianæ proprietatis ipse experitur insanam immensitatem, cum, forte narrans de orbe superterraneo, videat se inopinato concitasse tempestates turbidissimas :

« Nusquam plaris æstimantur novatores quam in

hac republica : quo difficilius ac absurdus sit commentum, eo commendatius. Cum certo cuidam cercopitheco semel exposuissem naturam orbis terraquei, monstrassemque superficiem eiusdem inhabitatam esse, consilium mox ille proposuit de perfodienda telluris crusta et via ad superterraneos aperienda. Commentum istud mox omnium applausum tulit, et instituta est societas, sive superterranei commercii consortium, ad quod catervatim mox accurrebant incolæ, collatisque symbolis, Actiones, uti mercatores loqui amant, emercati sunt. At, turbata his motibus tota regione, variisque familiis per hasce Actiones ad extrema redactis, stoliditatem commenti tandem perspicientes, ab incepto destiterunt. Ob istam tamen stultitiam, quæ reipublicæ tanti steterat, nil mali passus est novator, quin insuper ob nobilitatem facinoris omnium laudes emeruerit. »

Ex hoc exemplo patet, si quis in ea civitate novitatem afferre indeque sibi gloriam et fortunam comparare cupiat, non esse salutarem legem proponendam, neque instituta subtilius mutanda, neque, licet sit opus, bono publico consulendum. Nullo modo. Una res inveniendata est, quæ sit pulchella, iucunda, nitidula, supervacanea, nugatoria sed mox omnibus necessaria. Quæ autem ? Tamquam fulgur, ratio omnium ingeniosissima se Klimio statim inculcat :

« Maxime per novas quasdam vestimentorum formas, statui necesse mihi esse cum insanientibus furere. »

Cogita, lector, quid satis ridiculi Ludovicus Holberg, qui, hoc recordemur oportet, sæculo floruit duodevicesimo, in hac provincia invenire potuerit... Nonne tibi statim venit in mentem ? Capillamentum, profecto ! Capillamentum sive perucca tunc temporis ornamentum erat omnis hominis elegantia aliquatenus curiosi. Apud simios procul dubio ingens gloria prodi-bit e capillamento. Et re vera :

« Comparatis igitur lanis caprinis, effinxi peruccam capiti meo convenientem, ac ita ornatus, Syndico me sistebam. Obstupescens ille ad novum et insolitum phænomenon, quid rei esset, rogat, moxque capiti meo adeptam suo imponit, ad speculum properans, ut se ipsum eo ornatu intueretur. Tantum sibi ipsi tunc, cum novo isto capitis tegmento, placuit, ut præ gaudio alte exclamaverit : Diis proximus sum ! Coniugem suam mox accessivit, ut gaudii sui participem faceret. Illa non minori lætitia exsultans, maritum amplexa, testatur nil lepidum magis ac gratum oculis suis fuisse, cui

sententiæ tota etiam familia suffragatur.

« Tunc ad me conversus Syndicus : Si istud tuum commentum, inquit, o Kakidoran, Senatui æque arriserit ac nobis, summos in nostra republica honores tibi polliceri poteris. »

Nec mora : Syndicus rem defert ad senatum.

« Audiui eodem die cessasse omnes res forenses, tantum huius commenti examen omnium animos occupaverat. Cum suffragia ferrentur, laudatur species operis, commendatur manus artificis, acceptatur devotio donantis, et præmium statuitur. (...)

« Facto senatusconsulto, in curiam arcessor, ubi senior cercopithecus assurgens, postquam nomine totius reipublicæ gratias mihi egerat, simulque indicaverat remunerandam pro merito fore operam meam, rogabat, quanto temporis spatio mihi opus esset, ad effingendum simile capitis ornamentum. Respondebam ego sat mihi mercedis esse, quod artificium tantorum virorum applausum et totius Senatus niveos emeruerit calculos : pollicitus sum aliam peruccam bidui spatio perficiendam, et, modo alii in opere manuario exercitati simii, quos artem docerem, mihi adiungerentur, posse unius mensis intercapedine formari peruccas, quæ toti civitati sufficerent, asseverabam.

« At, hoc responso commotus, in hæc verba prorupit Syndicus : Absit, Kakidoran ! ut ornatus hic toti civitati sit communis, et ob usum nimis frequentem vilescat ! Necesse enim est, ut eo nobilitas a plebe distinguatur. Iudicio gravissimi viri omnes adstipulantur, ac iubentur civitatis censores curam agere, ne senatusconsultum violetur, neve promiscuo peruccarum usu nobilitas quid detrimenti capiat, et insigne adeo ornamentum plebeio contagio polluat.

« At edictum hoc eundem habuit effectum, quem cunctæ sumptuariæ leges cum discrimine civium latæ ; nam eo maiorem transgrediendæ legis ardorem in plebe concitabat. Et cum ornatus hicce mire omnibus placeret, cives e plebe ditiores aut commendatione amicorum, aut pecunia, titulos ac diplomata nobilitatis a Senatu sunt emercati, adeo ut dimidia civitatis pars brevi nobilitaretur. Tandem, cum e provinciis etiam supplices libelli afferrentur, consultum duxit Senatus, edictum antiquare, et unicuique peruccarum usum permittere, adeo, ut cum voluptate totam gentem peruccatam (sit venia verbo !) viderem, antequam Martinia egressus sum. Lepidum sane spectaculum erat, crinitos hos simios intueri. Tantum toti genti placuit commentum, ut novam epocham statuerit ; nataque inde est ætas crinita in annalibus Martinianis.



« At, ut ad me ipsum redeam, encomiis cumulat ac purpureo tectus pallio, vehiculo Syndici domum reportor ; adeo ut baiulus iste, qui nuper collega meus fuerat, iam equi officium mihi præstiterit. Ex eo quoque tempore ad propriam Syndici quadram fui admissus. »

Nobilitatis diplomate mox ornatus, Nicolaus summam videtur attigisse gloriam :

« Ita a vili baiulo in virum nobilem transformatus, in summo honore et felicitate aliquamdiu vivebam. Et cum animadverterent Martiniani gratia me apud Syndicum valere, amicitiam meam ac favorem omnes venabantur. Adulatio captantium eo usque progrediebatur, ut carmina panegyrica mihi certatim offerrent, ignotasque mihi virtutes affingerent. Nonnulli, quamvis scirent me ignoti orbis civem esse, maiores meos longa deducere virga ac genealogiam a primis sæculis derivare non dubitarunt. At parum gratæ mihi erant eiusmodi computationes, cum gloriosum non putarem, a simiis descendere. Porro, cum solitum sit Martinianis caudas optimatum laudibus celebrare, eodem fere modo, quo poetæ nostri formas virginum prædicare solent, vates quidam, gratiam meam aucupantes, caudæ meæ præstantiam, quamvis nulla mihi esset, carminibus celebrarunt. »

Et mox accidet id quod accidere debet... Sed hæc, bone lector, in proximo fasciculo. ☞

1. Textus, qui hic proponuntur, excerpti sunt e libro decimo (cap. 28 sq.) operis c.t. *Nicolai Klimii iter subterraneum*, auctore Ludovico Holberg (1684-1754).

# DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (XIV)

## MAGNUM SCHISMA ORIENTIS

– scripsit Gaius Licoppe –

**B**asilius II nullam uxorem habuit ; infeliciter eius successores ei sunt impares. Primus succedit eius frater **Constantinus VIII** (976-1028) iam diu throno consociatus. Eius breve regnum est calamitosum ; rem publicam ægre et pessime curat. Non habet filium ; ei tantum est filia Zoe, quam anno 1002 desponderat Germano Imperatori Ottoni III ; at cum in Italiam advenisset ad nuptias celebrandas, ei nuntiatum est Imperatorem inopinanter vita functum esse. Constantinus VIII, morte imminente, ut Imperium in propria familia maneat, filiam in matrimonium dat Romano Argyro, cognato, cuius uxor in monasterium relegatur.

**Zoe Porphyrogeneta** (1028-1050) patri succedit et una cum sorore **Theodora** regnat ; hæc tamen non diu, nam in exsilium mittitur ; Zoe maritum throno consociat, qui fit imperator **Romanus III Argyrus** (1028-1034). Qui vir est omnibus regni curis inhabilis ; expeditionem in Syriam facit (1030), in qua vincitur.

**Paphlagonius** quidam humili loco natus, Iohannes Eunuchus, factus erat parakoimomenos, is ergo cui regendæ sunt feminarum habitationes in Palatio Sacro ; fratres suos in aulam accessit, e quibus Michael fit Imperatricis Zoe amasius ; una primum statuunt Romanum III lento veneno interficere, postea impatientes curant ut in thermis aqua mergatur.

Zoe sine mora amasium throno consociat, qui vocatur **Michael IV Paphlagonius** (1034-1041). Rerum publicarum imperitus, Michael IV habenas tradit fratri Iohanni Eunucho. Hic exercitum fiscique administrationem reformat atque Imperii potentiam restituit. Incrementum tamen vectigalium excitat ægritudinem et populi et nobilium. Complures conspirationes habentur, quæ opprimuntur. Ultimam (1040), ab ipsa Zoe factam, participat laicus patricius Michael Cerularius, qui ad vitam servandam fit monachus.

In Oriente Arabes continentur. Ad Siciliam expugnandam mittitur strategus Maniakes, qui, iuvantibus mercenariis Normannis, <sup>1</sup> imprimis mahumetanos expellit (1038-1040), deinde tamen fere totum agrum recuperatum perdit, orta zizania de præda.

Ad limitem septentrionalem Serbi et Bulgari rebelant propter vectigalia nimis gravia ; anno 1041 Michael IV, in cuius exercitu sunt Norvegi mercenarii, eos profligat. Constantinopolin reversus triumphum celebrat ; paulo post ægrotat et moritur.

**Michael V Kalaphates** (i.e. stipator) (1041-1042), nepos et successor Michaelis IV, sic cognominatus, quod eius pater erat stipator ; ipse iam fuit nauarchus expeditionis, quam Michael IV in Siciliam duxit. Michael V quattuor tantum menses regnat. Intra hoc

breve tempus suum potentem patruum Iohannem Eunuchum in monasterium relegat, eius decreta abrogat atque ab exsilio revocat Michaellem Cerularium et Georgium Maniakes, quem statim in Italiam meridionalem mittit ad Normannos repellendos.

In exsilium etiam mittit Zoe, ut solus regnet ; inde statim oritur rebellio populi, apud quem Zoe largitionibus gratiosa facta est ; rebelles postulant ut Zoe eiusque soror Theodora regnum participant. Eis in aula restitutis, Michael V destituitur relegaturque in monasterium Stoudion, ubi ipse iam relegavit Iohannem Eunuchum. Hoc vero non sufficit, nam comprehenditur, obcæcatur et castratur ; paulo post moritur.

Ætas, quæ Basili II regnum secuta est, multum contulit ad malam famam Imperii Orientalis apud Occidentales, quibus despectui erat imperium a feminis et eunuchis gubernatum.

**Constantinus IX Monomachus** (1042-1055) imperator fit, quia Zoe ei anno 1042 nubere statuit ; ei tamen licet amasiam Mariam Sklerainam apud se servare, cui titulus datur inauditus : Sebaste. Ab anno 1050, Zoe vita functa, ipse solus regnat.

Novi hostes undique apparent ; inexhausta enim Asiæ humana capacitas non desinit novas gentes in Occidentem evomere ; sive supra, sive infra Pontum Euxinum Constantinopolin tendunt eius fabulosis divitiis lautitiisque attracti. Ad limitem Danuvii Petsenegi, Turca tribus, irruptionem faciunt et Seldiucidæ, alia Turcorum tribus, in limitem orientalem ; Seldiucidarum tamen impetus frangitur, qui arcem *Mantzikert* expugnare non valent.

In Italia meridionali Normanni, qui paucis annis ante Imperii mercenarii erant, nunc pro se ipsis bellant et Byzantinos, etsi cum papa Leone IX consociatos, compluribus vincunt ; agrum Imperii magis magisque occupant.

Contra pax feliciter renovatur cum Fatimidis Ægypti, quibuscum restituitur bona consuetudo ; Byzantini iterum fiunt protectores christianorum Terræ Sanctæ atque ad ecclesiam Sancti Sepulcri restaurandam <sup>2</sup> cooperantur, quæ refectio perficitur anno 1048.

Universitas studiorum reformatur et litteræ florent ; præsertim citandi sunt iuris peritus Iohannes Xiphilinus, Nomophylax cognominatus, et chronographus Imperatorisque consiliarius Michael Psellos.

Infeliciter Constantinus IX sua prodigientia Imperii ærarium exhaurit ; hæc condicio Byzantinis postea maximo erit damno.

In rebus religiosis eventit aliquid maximi momenti. Usque tunc Orientales et Occidentales semper conati sunt dissensiones superare ecclesiæque unitatem serva-

re ; decursu tamen sæculorum differentia facta sunt in ritibus et theologia duarum ecclesiarum ; quare, ut supra dictum est, Basilius II magna cum reverentia multisque donis a papa Iohanne XIX petivit, ut utrique ecclesiae sui iuris fieri liceret, alteri a papa rectae, alteri a patriarcha œcumenico Constantinopolitano ; obstantibus vero proceribus Occidentalibus, papa initio favens negare coactus est.

Papa Leo IX (1049-1054) in regionibus, unde Normanni Byzantinos expulerunt, ritum Latinum substituit ritui Orientali. Michael Cerularius, qui tempore Basili II monachus factus est invitus, nunc est patriarcha Constantinopolitanus (1043-1059) ; papae iratus respondet ecclesias Latinas Constantinopoli claudendo.

Prima causa dissensionis inter Romam et Constantinopolin iam diutissime est papae voluntas primatum habendi in tota ecclesia ; ut supra diximus, Basilius II paucis annis ante a papa humanissime petivit ut ecclesiae regimen in duo capita divideretur, sed frustra. Aliae dissensionis causae sunt re vera leves et merito vocatae sunt « Contentiones Byzantinae » ; agitur non solum de illo « filioque », sed etiam de minoribus rebus ; Latini ab Orientalibus reprehenduntur, praecipue quia in eucharistia adhibent panem azymum, et Orientales a Latinis, quia eorum sacerdotibus uxorem ducere licet.

Papa Leo IX Constantinopolin mittit legatos, qui sunt Humbertus de Moyenmoutier etiam Burgundus vocatus, cardinalis episcopusque de Silva Candida, una cum Frederico Lotharingo, futuro papa Stephano IX, et Petro Amalfitano. Quamquam Constantinus IX Humbertum Burgundum et Michaelem Cerularium inter se conciliare conatur, ii manent aequè obstinati. Mense Iulio anni 1054 legati Latini in Sancta Sophia bullam papalem deponunt, qua Michael Cerularius eiusque studiosi excommunicantur. <sup>3</sup> Is par pari refert Latinos generaliter excommunicando. Sic incohatur schisma, quod Latini vocant Orthodoxorum et Orientales Latinorum vel Romae. Schismatis mali effectus tamen solum apparebunt tempore cruciatarum expeditionum.

Theodora Porphyrogeneta (1055-1056) est filia Constantini VIII, quae post eius obitum nonnullas septimanas iam regnavit una cum sorore Zoe, sed in monasterium relegata est statim ac Zoe Romano III nubuit. Iterum breviter anno 1042 una cum sorore Zoe regnat, sed cum haec Constantino IX nubit Theodora ab aula excluditur.

Constantino IX mortuo, Theodora sola regnat ; brevissimo eius regno finitur praestans dynastia Macedonica. Mox aegrotans ut successorem designat exercitus curatorem rei nummariae (unde eius cognomen : ὁ Στρατιωτικός), c.n. Michael VI Bringas (1056-1057) ; is inter breve regnum solum efficere valet ut omnes partes offendantur. Cum rebellio oritur, duce stratego Isaaco Comneno, patriarcha Michael

Cerularius ei suadet ut thronum relinquat.

Isaacus I Comnenus (1057-1059), filius optimi strategii Emmanuelis Comneni, intra breve tempus, quo septem imperatores Basilio II successerunt, ita prudenter se gessit ut exercitus ei confideret ; inter annos 1042 et 1057 bellavit in Asia minore contra irrumpentes Turcos Seldiucidas. Vix basileus factus, expeditionem ducere debet contra regem Andream I Hungariae et Petsenecos, qui anno 1059 limitem septentrionalem vastant ; Isaacus I victor evadit et pacem facit cum Hungaris.

Exercitum reformat, severam disciplinam militarem imponit et efficit ut milites stipendium regulariter accipiant. Eius maior cura est aërium complere ; confiscat magna praedia, quae sibi attribuerunt gratiosi aulici, quin etiam patriarcha Michael Cerularius ; qui ergo in eum conspirat. Isaacus I defessus et aegrotans se abdicat pro principali administro cui nomen est **Constantinus X Doukas** (1059-1067). Is pertinet ad potentem familiam Doukas, cuius praedia praecipue patent in Thracia et Macedonia. Vir eruditus, tempus degit docte disceptando ; opus autem ab Isaaco I incohatum pergere non valet ; eius fiscalia edicta tollit ac valde auget rei publicae impensa. Quo minoris constet exercitus, magis magisque utitur mercenariis.

Non mirum ergo si hostes in omnes Imperii limites irrumpunt. Normanni, duce Roberto de Altavilla, Guiscardo cognominato, in agrum Byzantium in Italiam meridionalem irrumpunt et magis magisque potentes fiunt. Papa Nicolaus II (1058-1061), qui orbetur tutela cum Imperii Germanici propter Contentionem de Investituris, tum Imperii Byzantini propter schisma, cogitur Normannos sibi conciliare : eorum recentes possessiones agnoscit ac Robertum Guiscardum nominat Ducem Apuliae, Calabriae et Siciliae.

Ad limitem septentrionalem, Hungari expugnant Singidunum (*Belgrad*). Nonnulli irrumpentes vincuntur. Petseneci se in Bulgariam collocant.

Ab anno 1065, quo Armeniaca urbe *Ani* potiuntur, potentia Turcorum Seldiucidarum in Asia Minore crescit. Ciliciam vastant atque anno 1067 Cæsaream Cappadociae capiunt.

Cum Constantinus X moritur, eius filius maior natu **Michael VII Doukas Parapinakes** (1067-1078) coronatur una cum fratre Andronico (1067-1078). Michael vero 17 tantum annos natus est, quare imperium matri Eudoxiae est regendum. Quae contra Constantini X voluntatem sine mora stratego nubit eumque throno consociat, qui fit imperator **Romanus IV Diogenes** (1067-1071). Postea alius Constantini X filius, **Constantinus Doukas** (1071-1078) et **Constantinus Doukas Porphyrogenetus** (1074-1078), filius Michaelis VII, quoque coronantur.

Romanus IV Diogenes imperii habenas tenet ; est bonus administrator et fortis strategus, qui comperit quanto periculo Imperio sint Seldiucidae. <sup>4</sup> Vult Imperii

potentiam restaurare, sed impeditur adversante familia Doukas ; status exercitus etiam est pessimus.

Normanni Byzantinos e tota Italia meridionali gradatim expellunt ; Neapoli et Bario anno 1071 captis, finitur præsentia Byzantina in Italia. Normanni Siciliam quoque ab anno 1061 aggrediuntur, sed eius expugnatio est lenta et difficilis ; nam pauci sunt, raro amplius mille in prælio, et Saraceni multas arces muni-verunt. Anno tamen 1091 tota Sicilia est in Normannorum ditione, post duo sæcula mahumetani dominatus.

Iam ab initio regni Romanus IV Diogenes bellat ad limitem orientalem ac præsidia Byzantina multum fir-mat. Tunc temporis Seldiucidæ aliam rem curant ; eorum enim dux, Alp Arslan, vassalus califæ Bagdadensis, mahumetani sunnitæ, pro eo bellum in Syria gerit contra siitam califatum Fatimidarum ; in iti-nere Byzantinam arcem *Mantzikert* expugnat. Alp Arslan, cum comperit Basilea advenisse cum magno exercitu nec califæ pacis condiciones accepisse, Syriam relinquit iterque celerrime facit ad arcem *Mantzikert*, quam Basileus interea iam recuperavit. In prælio ibi commisso, Byzantini vincuntur non solum quia eorum exercitus est heterogeneus, cum fere totus constet e diversis mercenariis, sed etiam propter proditorem Andronici Doukas, qui cum parte exercitus, cui præest, a prælio discedit Basilea relinquens intutum. Exercitus fugatur et Romanus IV capitur.

Non tamen fuit tanta clades, quantam historici soli-ti sunt dicere. Recentior critica historica monstrat exer-citum Byzantinum tunc non esse exstinctum et Byzantinis multo maiori detrimento fuisse insequens bellum civile.

Romanus IV Diogenes, non diu ab Alp Arslan retentus, redit Constantinopolin, ubi coimperator Michael VII Doukas eum deponit ; in monasterium relegatus obcæatur.

Aliud infortunium tunc supervenit : inter annos 1068 et 1080 Imperium patitur primam magnam crisin pecuniariam, ob pretiosorum metallorum penuriam ; necesse est eorum rationem in nummis minuere (inde Michaelis VII cognomen : Parapinakes).

Romano IV remoto Michael VII Doukas conatur Seldiucidas repellere ; eius autem exercitus post Normannorum mercenariorum proditorem vincitur et dux, Isaacus Comnenus, capitur. Isti Normanni, duce Russello de Bailleul nunc pro se ipsis bellantibus, sunt magnum periculum ; contra eos mittitur novus exerci-tus, cui præest Iohannes Doukas, imperatoris patruus ; ille quoque vincitur et capitur. Astutus Russellus eum proclamat imperatorem ; hic enim est bonus prætextus ad petendam Constantinopolin. Basileus Michael VII, deficientibus opibus, pactum facit cum Turcis, qui Russellum aggrediuntur ; eum vincunt et capiunt, dein sine mora contra pretium liberant. Russellus Armeniam petit et præcipuas Ponti urbes in ditionem

suam redigit. Tunc Alexius Comnenus, 17 tantum annos natus, mittitur contra Russellum ; cum eius exercitus solum e mille circiter militibus constet, ite-rum necesse est pactum cum Turcis facere. Qui Russellum capiunt Alexioque contra pretium tradunt. Anno 1074 magnus ager in Asia Minore Turcis Seldiucidis conceditur, quo fit ut Alexius Constantinopolin redire cogatur per Pontum Euxinum.

His calamitatibus addita crisi pecuniaria, in regioni-bus Balcanicis et in Asia Minore fiunt rebelliones stra-tegorum, qui throno potiri cupiunt. Alexius Comnenus, postquam duas comprimere valuit, meretur Irenam Doukas uxorem ducere. Cum in Asia Minore iterum oriatur rebellio, Michael VII animo demissus se ab imperio abdicat et in monasterium confert.

Rebellis strategus Nicephorus III Botaniates (1078-1081) imperator proclamatur ab exercitu Orientis, iuvante Seldiucidarum duce, cui tributum solvit. Uxorem ducit Imperatricem Mariam Alaniæ, Michaelis VII uxorem. Iuvante Alexio Comneno, æmulos initio arcet atque ab optimatibus et clero accipi valet. Eius breve regnum, rebellionibus et bellis civilibus signa-tum, finem facit triginta perturbatorum annorum, qui-bus Imperium valde debilitatum est. ❧

- 
1. Normanni in Italiam meridionalem primum adveniunt inter annos 999 et 1017. Non multi sunt, nam solum nonnulli centeni singulis annis per unum sæculum immigrant. Cur autem Normanniam suam relinquunt ? Quia minores natu in Italia meridionali agrum inveniunt, quo in Normannia orbantur a primogenitis. Et cur eligunt Italiam meridionalem ? Illius ætatis desunt certi fontes ; nescimus ergo utra e duabus traditis narrationibus vera sit ; fortasse in ambabus est aliquid veri. Secundum traditionem Salernitanam dictam peregrini Normanni Hierosolymis redeuntes Salernum invenerunt a Saracenis obsessum eosque fugaverunt. Mirans et gaudens, dux urbis Nor-mannis suasit ut manerent et alios e Normannia arcesserent. Secundum alteram traditionem Montis Gargani dictam multi Normanni propter archangelis Michaelis venerationem piam peregrinationem faciebant ad sanctuarium Montis Gargani ; Italia meridionalis eis placuit, ubi imprimis mercenarii facti sunt.
  2. Fatimidæ non solum Iudæos et christianos pacifice tractare solebant, sed eis etiam munera in regimine permittebant. Solus califa Al Hakim (985-1021) eis iterum imposuit veterem legem mahumetanam ; vestes peculiare gerere debebant ; recentes ecclesiæ debebantur, bona ecclesiarum confiscabantur et anno 1009 ipsa ecclesia Sancti Sepulcri destructa est.
  3. Legati tunc nesciunt suum mandatum eo invalidum esse, quod paulo ante papa Leo IX vita functus est.
  4. Turci Seldiucidæ sunt tribus nomadum, quæ vagabantur in Asia Centrali. Circa annum 903 novum ducem habent Seldiuk Beg, e cuius nomine dynastia Seldiucidarum vocatur. Decimo sæculo fiunt mahumetani sunnitæ. Togrul Beg, Seldiuk Beg nepos, est conditor Seldiucidarum extenti imperii ; iam totam Iraniam in ditione sua habet, ubi se sultanum de Nishapur proclama-vit, cum anno 1055 Bagdado potitur ; ibi califam Abbassidam non destituit, qui ei titulum sultani confirmat. Alp Arslan (1063-1072), fratris Togrul Beg filius, ei succedit et Romanum IV Diogenem anno 1071 in prælio apud *Mantzikert* vincit et capit. Post Alp Arslan mortem Seldiucidarum imperium celeriter dissolvitur bellis intestinis.

# DE PROCESSIONE SPIRITVS SANCTI EX PATRE FILIOQVE

– scripsit Geraldus Wailliez<sup>1</sup> –

Iam multa abhinc sæcula inter Ecclesiam Romanam catholicam et photianos (qui seipsos « orthodoxos » nuncupant)<sup>2</sup> controvertitur utrum Spiritus Sanctus ex solo Patre aut ex Filio quoque procedat. Cui rei Gaius noster in symbola « De Romano imperio orientali (xi) »<sup>3</sup> alludit.

Inprimis clare animadvertendum est omnes veritates dogmaticas in ipsa formula liturgica non necessario exprimendas esse.

Verum est papam S. Leonem III contra imperatoris Caroli Magni legatorum vota recusavisse ne verbum « Filioque » in sanctæ missæ symbolo fidei adderetur. Attamen huic processioni ab utroque firmiter credebat, ut ipse monachis Francis Hierosolymis degentibus scripsit : « Credimus... Spiritum Sanctum a Patre et Filio æqualiter procedentem... Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedens ». <sup>4</sup> Quod postea imperatoris legatis iteravit dixitque hanc fidem saluti necessariam esse, quamquam ex hoc non deflueret hanc novam formulam in ipso symbolo Nicæno-Constantinopolitano (ubi deest at nullo modo negatur) addendam esse talemque additionem sibi etiam inopportuna videri. <sup>5</sup> Hoc igitur valde differt ab affirmatione illa (cf. notam 3) : « Carolus Magnus vult hanc formulam in doctrinam [linea subnotavi] Romanam introduci ; id quod fit contra voluntatem papæ Leonis III. » Ceterum, ille imperator, cæsarpapismum imperatorum Byzantinorum non imitando, numquam documentum dogmaticum sicut « Ecthesin » vel « Tupon » ipse edixit nec papam persecutus est (cf. his de abusibus Byzantinis *Melissa*, n° 156, p. 7) !

Patet insuper iam longe ante synodos Toletanas sexti sæculi plures Patres Ecclesiæ, tam Græcos quam Latinos, hanc processionem alias implicite alias autem explicite docuisse, præsertim, apud Orientales, S. Cyrillum Alexandrinum (huius civitatis patriarcham medio V<sup>i</sup> sæculi) in epistula contra nestorianos a pluribus synodis laudata. Qui his de rebus plura scire velit consulat v.g. Ad. TANQUERAY<sup>6</sup> et encyclopædiam c.t. *Dictionnaire de théologie catholique*.<sup>7</sup>

Non hic est locus longæ theologicæ dissertationis. Liceat autem de dogmate catholico (quod, ut patet, omnibus hanc religionem confitentibus, tam Græcis quam Latinis, tenendum est)<sup>8</sup> professionem fidei Michaelis Palæologi imperatoris ad papam Gregorium X in sessione IV<sup>a</sup> œcumenici concilii Lugdunensis II (1274) citare : « Credimus et Spiritum Sanctum, plenum et perfectum verumque Deum ex Patre Filioque procedentem »<sup>9</sup> ac fusiis decretum pro Græcis sive bullam unionis Græcorum « Latentur cæli » concilii œcumenici Florentini (1439) : « diffinimus (...) quod Spiritus

Sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque æternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit ; declarantes, quod id, quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus est. Diffinimus insuper, explicacionem verborum illorum 'Filioque' veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationaliter Symbolo fuisse appositam. »<sup>10</sup> ☩

1. Auxiliante Marcella Dejaive.

2. Nullus tamen catholicus, sive Latinus, sive Orientalis, admittere potest Photium « doctrinam orthodoxam », i.e. « rectam », de processione Spiritus Sancti docere.

3. *Melissa*, n° 158, p. 15, n. 2.

4. *Patrologia Latina* (MIGNE), t. XCIV, col. 209, citata in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. V, v° Filioque, col. 2315.

5. *DTbC*, v° cit., col. 2316.

6. *Synopsis Theologiæ dogmaticæ*, ed. 29a, Desclée et socii, 1959, t. II, n° 659-660.

7. V° *Esprit-Saint*, t. V, col. 773 e.s. (cf. quoque eod. op., v° Filioque, col. 2309 e.s.). – De vero sensu aliquorum S. Ioannis Damasceni textuum qui processionem a Filio prima facie respuere videntur at revera tantum significant Patrem solum Principium sine principio esse ac de orthodoxia (genuino sensu ! cf. supra notam 2am) formulæ Græcæ ἐκ πατρὸς διὰ τοῦ Ἰουῦ (ex Patre per Filium), vide v° *Esprit-Saint*, col. 794, in fine - 801. De hac ultima quæstione vide quoque affirmativa responsa S. Thomæ Aquinatis ambabus quæstionibus « Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio » et « Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium » (*Summa theologia*, Ia, qu. 36, art. 2 et 3).

8. Non obstante Benedicti XIV concessionem liturgicam : « Etsi Græci teneantur credere, etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, non tamen tenentur in symbolo pronunciare » (Bulla « Etsi pastoralis », § 1 [anno 1742], citata in *DTbC*, v° Filioque, col. 2341).

9. DENZINGER - SCHÖNMEITZER, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum*, ed. 34a, 853. – Idem concilium Lugdunense II in sessione IIa declaraverat : « Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre et Filio, non ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus sed unica spiratione procedit : hoc professa est hactenus, prædicavit et docuit, hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur et docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium et magistra : hoc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum, Latinorum pariter et Græcorum incommutabilis et vera sententia. »

10. D.B., 1300. – Hæc additio liturgica a Romanis Pontificibus vera sententia est propter pertinaces heterodoxas declarationes photianoorum.



# DE ÆGYPTO, DE MIMO MARCEAV DEQVE CAROLO MARX

AD NATIONEM ÆGYPTIAM (II.02.2011)

*cecinit Anna Elissa Radke*

Nunc est bibendum, nunc pede libero  
Pulsanda tellus Niliaca : hoc die,  
Qui ter decem rexit per annos,  
Exsilium petiit tyrannus.

O gens rebellis, fortis et impigra,  
Tres septimanas pervigil in foro  
Sic pertulisti temperante  
Militia iram odiumque plebis.

Felix iuventus, non opus est tibi  
Vino, quod olim prompsit Horatius  
Cellis avitis, – exuendum est  
Sandalium, iniciendum in æthram ! ☞

VOX SILENTII TACVIT

*scripsit Alanus Van Dievoet*

Flevimus recens vocem potentem quæ usque ad  
astra resonavit, flemus nunc vocem silentiosam quæ  
usque ad ima corda penetravit.

Vocem Marcelli Marceau.

In symphonia musica, ut in vita mortalium, silentia  
tam magni momenti sunt quam soni. Ni extaret silen-  
tium non haberent soni figuram.

Ille mimus famosus valuit hoc silentium eloquenter  
tragiceque exprimere. Silentio condicionem humanam,  
procul a clangoribus et strepitibus impuris, descripsit  
aut potius pinxit. Ut pictor enim mimus artem silen-  
tiosam exercet.

Sed cum multi siluerunt, non siluit Marcellus  
Marceau.

Cum barbaries nigra et infamis, vi atque dolo cru-  
deliter invasit patriam, ille vir gracilis et sensibilis non  
timuit, miles umbræ, armis fortiter et audacter resistere.

Silentium eius nunc siluit, sed manet in auribus  
nostris ut clamor ingens. ☞

PARVÆ NOTVLÆ DE CAROLI MARX  
SYSTEMATE PHILOSOPHICO

*scripsit Stephanus Rocca*

In voluminibus quæ inscribuntur *Das Kapital*, scilicet *Opes capitales*, Carolus ille Marx, cuius argumen-  
tum dispertitur in tribus libris, primum disputat qui-  
bus de modis valore excedentem homines locupletes  
afferant ; deinde de modis universis qui apti ad opes  
capitales gignendas sint ; demum de phasibus quibus

universæ opes capitales afferantur. In ista phase revera  
philosophus ille de quæstuosis rationibus universis  
disserit. Quam ob rem satis omnibus constat quod in  
istis voluminibus res progredi videntur a partitionibus  
œconomicarum rationum (merce et eius pretio quo ipsa  
permutatur) usque ad historiam generalem, ut ita  
dicam, humani generis. Quæ historia, iuxta rationem  
Marxianam, ad mutuam cognitionem inter apparatus  
ad res efficiendas et vim quam opifices cotidie adhi-  
bent pertinere videtur. Quæ vis revera lucrum fert  
dummodo homines locupletes opificibus quam diutis-  
sime possint fungantur. Quod ipsi adipiscuntur vel  
augendo diei ferialis tempus vel machinarum apparatus  
adhibendo. Æmulatio mercatoria lucra perhibet, sed  
ista lucra, item, efficiunt ut systema istud opibus capi-  
talibus innixum intimam inæqualitatem inter homines  
ferat. Benedictus XVI Romanæ Catholicæ Ecclesiæ in  
litteris Encyclicis quæ inscribuntur *Spe Salvi*<sup>1</sup> singilla-  
tim de philosophia Marxiana disputat et censet eius  
verum errorem materialismum esse, sed revera Pon-  
tifex ipse id agnoscit, quod *Marx condicionem sui tem-  
poris descripsit atque acumine analytico vias ad rerum  
eversionem illustravit – non modo scientia : per commu-  
nistarum factionem, ex communistarum præconio anno  
MDCCCXLVIII natam, eam definite incobavit* (§ 20).

Carolus ille Marx Augustæ Treverorum natus est a.  
MDCCCXVIII, genere Israelitico, sed pater eius, advoca-  
tus, a Hebraica patrum ad fidem protestantem se  
convertit. Lycealibus studiis confectis, se ascripsit  
Bonnæ in ordinem studiorum iurisprudentiæ  
a. MDCCCXXXV, sed a. MDCCCXXXVI Berolinum demi-  
grat, ubi Savigny illum audivit et Jenny von  
Westphalem adamavit, quam duxit uxorem paulo post  
a. MDCCCXLIII. A. MDCCCXLI doctoris philosophiæ gra-  
dum adeptus est disputando Latine quid intersit inter  
philosophias naturales Democriti et Epicuri.

Ab anno MDCCCXLIII Carolus et eius uxor vitam  
degunt Lutetiæ Parisiorum, ubi Fridericus Engels illos  
petit et ambo a. MDCCCXLIV divulgant librum illum qui  
inscribitur *Die heilige Familie*, scilicet *Sacra Familia*.  
Deinde coniuges vitam agunt Bruxellis usque ad  
annum MDCCCXLVIII (*Manifest der Kommunistischen  
Partei*, scil. *Præconium Communisticæ Factionis*).  
A. MDCCCXLIX Marx domicilium collocat Londinii et  
usque ad annum MDCCCLXVII incipientem ille in paran-  
dum librum primum operis illius præclari quod inscri-  
bitur *Opes capitales* incumbit. A. MDCCCLXXXIII  
Carolus vitam obiit, post uxorem suam dilectissimam,  
quæ mortua est a. MDCCCLXXXI. ☞

1. [http://www.vatican.va/holy\\_father/benedict\\_xvi/encyclicals/documents/hf\\_ben-xvi\\_enc\\_20071130\\_spe-salvi\\_lt.html](http://www.vatican.va/holy_father/benedict_xvi/encyclicals/documents/hf_ben-xvi_enc_20071130_spe-salvi_lt.html)

## DE NOVIS LIBRIS

Axel SCHÖNBERGER, *Priscians Darstellung des silbisch gebundenen Tonhöhenmorenakzents des Lateinischen. Lateinischer Text und kommentierte deutsche Übersetzung des Buches über den lateinischen Akzent*, Francofurti Mœnani, Valentia, 2010, 507 p.

Ecce iterum novus liber in serie hic iam plus semel laudata, qua Axelius Schönberger grammaticos Latinos suscepit iterum publicandos, ornatos Theodisca translatione permultisque adnotationibus, cum commentario, bibliographia et, tamquam appendice, anastatica redimpresione editionis ab H. Keil undevicesimo sæculo factæ in præclaro opere c.t. *Grammatici Latini*. Argumentum hic tractatum, id est accentus, hodierno Latinistæ multum proderit, etsi in dubium vocatum sit num Priscianus re vera fuisset harum paginarum auctor. Iuvabit etiam appendices legere, quibus ea proponuntur quæ de eadem materia scripserunt Quintilianus, Aulus Gellius, Diomedes, Donatus, Pseudo-Victorinus, Sergius, Martianus Capella, Cledonius, Pompeius.

ISBN 978-3-936132-11-3

Anna Elysia RADKE, *O Täler weit... O valles patulæ... Florilegium Eichendorffianum*, Opoliæ-Lubovitii, Fundacja Nauki i Kultury na Slasku / Joseph von Eichendorff - Oberschlesisches Kultur - und Begegnungszentrum in Lubowitz, 2010, 78 p.

Commendatione non eget Iosephus de Eichendorff magnus poeta Germanus (1788-1857), neque iam eget magna poetria hodierna Anna Elissa Radke, quæ tot et tanta Latine canere solet. Inter carmina Eichendorffiana, quæ selegit lectorique offert in linguam Latinam translata, hos primos versus carminis *In der Nacht* (sive *Carmen nocturnum*) vobis tamquam prægustationem proponimus :

« Cum foris æstus hominum recedunt  
Sensim, et extinctis facibus, lucernis  
Nocte mutescens cor apud fenestram  
Horret et audit. » (p. 33)

ISBN 978-83-930417-0-1

Jesús Hernández LOBATO, Rudolf SPANN, *Livius in Karikaturen*, Hochheim am Main, Dr. Gabriele Nick Verlag, 2008, 157 p.

Jesús Hernández LOBATO, Rudolf SPANN, Alexander WINKLER, *Martial in Karikaturen*, Hochheim am Main, Dr. Gabriele Nick Verlag, 2010, 129 p.

His duobus libris proponuntur, addita Theodisca translatione, Livii excerpta et Martialis carmina singillatim ita iocose gryllis illustrata, ut textus discipulis videantur et iucundiores et propinquiores. Textus electi bonam longitudinem habent, ut singulæ paginæ fiant translationis exercitationes. Alius modus historiæ Romanæ conspiciendæ !

ISBN 978-3-939746-02-7 et 978-3-939746-28-7

Saint JÉRÔME, *Comment traduire au mieux, Lettre à Pammachius (fragments)*, traduit du latin par Alain Van Dievoet, Bruxelles, Éditions du Hazard, 2010, 14 p.

Eis, qui accessum non habent ad hunc textum attractivum et lectu vere dignum, Alanus Van Dievoet hoc libello manuali offert utilem translationem Francogallicam.

ISBN 2-930154-27-6





# *In hoc fasciculo !*

- De pretio artis* [F. Deraedt] p. 1  
*De Gerardo Dorn* [C. Thuysbaert] p. 3  
*Quomodo die 24 Aug. a. 410 Roma ab Alarico capta sit* [V. Ciarrocchi] p. 7  
*Nicolai Klimii iter subterraneum* (VII) [H. Holberg - F. Deraedt] p. 9  
*De Romano imperio orientali* (XIV) [G. Licoppe] p. 11  
*De processione Spiritus Sancti ex Patre Filioque* [G. Wailliez] p. 14  
*Ad nationem Ægyptiam* [A.E. Radke] p. 15  
*Vox silentii tacuit* [A. Van Dievoet] p. 15  
*Parvæ notulæ de Caroli Marx systemate philosophico* [S. Rocca] p. 15  
*Bibliotheca Latina* p. 16

*Imago tegumenti : illuminatio quinti decimi sæculi* (J. Dalarun (ed.), *Le Moyen Âge en lumière. Manuscrits enluminés des bibliothèques de France, Paris, Fayard, 2002*).

---

## LATINE LOQVI...

### AMBVLATIO CIRCA VIAM EGNATIAM

Melissæ sextum iter Latinum, 16-23 m. Septembris 2011.

¶ <http://web.me.com/fundatiomelissa> > Futurum iter Latinum

### CONVENTICVLA PROF. TERENTII TVNBERG

Dickinsoniæ in civitate Pennsylvania, d. 5-11 m. Iulii 2011.

Lexintoniæ in civitate Kentukia, d. 21-29 m. Iulii 2011.

¶ [terence.tunberg@gmail.com](mailto:terence.tunberg@gmail.com)

### CONVENTICVLVM LATINVM VASINTONIENSE

Aquis Albis, d. 2-8 m. Iulii 2011 ; sessiones præparatoriæ duobus diebus ante.

¶ <http://commons.wvc.edu/sberard/boreoccidentales>

### FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, 20-27 m. Iulii 2011.

¶ [www.friigolet.com](http://www.friigolet.com)

### LECTIONES LINGVÆ LATINÆ VIVÆ

Romæ in Universitate Sanctæ Crucis, 4-30 m. Iulii 2011.

¶ <http://www.pusc.it/lingue/latinofr.html>

### S.A.L.VI.

Rusticatio Virginiana, 9-16 m. Iulii 2011.

¶ <http://www.latin.org>

### SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Seminarium Ottiliense 18-23 m. Iulii, Trevericum 7-13 Aug. 2011.

¶ <http://www.voxlatina.uni-saarland.de>

### SEPTIMANA AMCENEVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere, 30 m. Iulii - 6 Aug. 2011.

¶ <http://www.septimanalatina.org>

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA